Viro optimo D. Nicolao Amsdorfio,
fideliss. docenti Euangelium in Ecclesia
Magdeburgensi amico carissimo:

[illegible] Scripsi nuper ad te de Glandor-
pio, meo consilio, ut rogamus. Nunc
alius satis industrius et doctus, qui praeest
Scholis in Lucca,
Martinus Gaterus

~~[illegible]~~

miserabiliter queritur de sua conditione, et expe-
tit Magdeburgensem. Rogavit suum ut de
eo ad te scriberem. Quare et hunc tibi commendo.
Non dubito idoneum esse, Est enim mihi bene
notus, quia diu in schola nostra degit. Vellem
enim vel apud vos, vel Brunsvigae esse.
Bene Vale die 13. Septembris

Philippus Melanthon.

Reverendissimo Dno, Nicolao ab Amsdorf
Episcopo Ecclesiae Numburgensis viro praestanti
doctrina et pietate vera, deum suum enim obser-
vantia colendo.

S. D. Reverendissime Dne. Christophorus adolescens
modeste vivit, et scripta eius indicant eum
proficere. De Georgio mihi videtur utile
fore, exerceri eum in scribendis literis

germanicis in Cancellaria vestra. Satis facundus
est natura. De negotio matrimoniali, Etsi
scio quid Iurisconsulti dicant de secundo genere
adfinitatis, tamen sentio, non tolerandam
esse coniunctionem ducentis Novercam mor-
tui coniugis. Ut enim privigno non licet
ducere Novercam, ita cum sint una caro,
vir et uxor, non licet ducere Novercam ei
qui privignam habuit. Collocuti sumus
hodie de ea re, et arbitror nostros iudices
idem respondisse. Nunc adsunt legati Du-
cum Pomeraniae et vocant pastorem unum
ad Episcopatum Caminensem gubernandum.
Audio Imperatorem Carolum mandata du-
cibus Pomeraniae misisse, ut ordinariam
electionem impediant. Deum oro, ut guber-
net Ecclesias suas, et servet ac defendat
eas. Bene vale. die. 21. Iulij

Philippus Melanthon.

~~[illegible]~~

Amplissimo Viro, et summo Theologo
D. Nicolao Amsdorffio, Citzensis et
Neunburgensis Ecclesiae Epo, et praeceptori
ac amico suo in Christo venerando.

S. Clarissime Episcope et praeceptor in Christo venerande,
cum haberem commodum nuncium, et scirem
te esse Magdeburgi, non volui intermittere, quin
ego fugatus in Domino, te propter eundem exu-
lantem, vel obiter tantum salutarem: Imo
et de miserabili Rhenensium Ecclesiarum statu,
certiorem redderem, qui qualis sit, poteris ex
annexis scriptis perspicere, quae una mitto, et latina
et germanica. Rogo itaque, ubi tibi placuerit,
ut digneris efficere, quo utrumque exemplar excu-
datur, puto nanque istorum vulgatione aliquid
animi vestratibus additum esse, et Sathanae
insidias in apertum productum iri,
Praeterea [illegible] ante aliquot septimanas, primum
et denuo scripsimus ad vos, in quo pene integra